







ΣΤΝ ΘΕΩ  
Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio XIII.

I. De benedictionibus & maledictionibus  
divinis.

II. De pœnitentibus in gratiam recipiendis.

Ex 27. & 28. & 29. & 30. capp. Deut.

*Ad cuius Themata*

*In Illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE


VVOLFGANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-  
sito itidem templi arcis

*Respondebit*

M. DANIEL GUCKELINUS  
Vlmensis.

*Die 20. Maij in templo arcis Electoralis horis pomerid:*



WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.  
M. DC. VIII.



Spectatissimis, Prudentissi-  
mis pietate, eruditione, omniumque virtutum  
splendore, nec non usu rerum & experientia  
præstantissimis VIRIS, Dnn.

Dn. DANIELI }  
Dn. SAMUELI } KUCHELIJS,  
Dn. JOANNI JACOBO Clausi  
Dn. MATTHIÆ KUCHELIO,

SENAT: & Civibus Ulmenfi-  
bus maximè conspicuis integerrimis, Me-  
cœnatibus & Fautoribus suis vnicis-o-  
ptimis,

Hancce Theologicarum exercitationum

*ἀρχὴν,*



In gratitudinis *τεκμήριον,*  
Observantiæ *μαρτύριον,*  
Studiorum *σημείον.*

Dicat, offert,

M. Daniel Guckelinus Ulmenfis  
*Respondens.*







Σὺ δὲ θῷ.

THESIS PRIM A.



Ac disputatione sub considerationem piam vocabimus 27. 28. 29. & 30. capita Deuteronomij, quibus docebitur, quænam præmia sint destinata illis, qui leges divinas observant, quæ verò sint pœnæ inobedientium.

II. Et quidem, capite 27, memoriale construere & edere jubentur Israëlita, unde de benedictionibus probos, & maledictionibus improbos consecuturis, sapius commonefiant; capite 28. benedictionum & maledictionum divinarum effectus, seu ἐπιπέμματα declarantur: capite 29. earundem certitudo infallibilis prædicatur: denique cap. 30. pœnitentibus, propter delicta in Leges divinas commissa, receptio in gratiam promittitur.

III. Priora tria capita, non immeritò CORNUA MOSES vocari possunt, cujus nimirum facies, Exod. 34, 29, 2. Cor. 3, 13, radios, instar stellarum emittebat, non cornua habebat, ut vulgus fabulatur; postremum verò, nimirum tricesimum cap. in Deuteronomio, summam Evangelij, in toto veteri Testamento subinde inculcati, continet, aureisque literis, & omnium memoriâ plusquam est dignissimum.

IV. Ad caput XXVII. quod attinet, memoriale fœderis, isti inter DEVM & totum Israël, adeoque benedictionum pro probis, maledictionum pro improbis promulgatarum & securarum, triplex constituere jubentur Israëlita in monte Ebal, in terrâ Canaan, ubi primum populus castra posuit in terrâ hæreditatis concessâ, ut prætereuntes mon-

Cornua Moysis.

Argumentum capitis 27. Deut.





Cur in monte  
Ebal pyramis &  
altare collocari  
debuerit.

Historia infi-  
gues parva sepe  
pro concionibus  
populo proponere  
debet.

**I.**  
Turricula in E-  
bal.

tem, vel de loco illo postea colloquentes & audientes, habeant signum seu notam recordandi de fœdere, & de his benedictionibus & maledictionibus, in eodem propositis.

V. *Cyrillus* annotat, in vicinia horum duorum monticulorum olim habitasse Abrahamum *Gen. 12, 6, 7*, item Iacobum *Genes. 33, 17, & seqq.* & utrumque ibi altaria DEO Vero extituisse, & ibidem plurimas à DEO revelationes accepisse, quin & Iacobum filio Iosepho viciniis agros dedisse *Gen. 48, 22*: ibi denique sepulta fuisse ossa Iosephi *Ios. 24, 32*.

VI. Voluit igitur in genere DOMINVS hoc ex loco in memoriam sæpius revocari, pròmissiones ante 400. annos veteribus ibi factas jam re ipsa compleri ibidem, *Est pars pietatis non exigua, insignia vel misericordiae vel vindictæ Divinae exempla alicubi locorum facta, incolis sæpenumero, provenat à posteris incolis inculcare.*

VII. Apparet etiam, eadem loca à posteris sæpius fuisse frequentata, vnde *Iudic. 9.* post 200. annos, hæres legitimus Gideonis, stans in adversi montis Garizim vertice, Sichemitas acclamat & execratur ob perfidiam erga legitimos Gideonis hæredes, id quod indicat propter celebritatem excellentissimam, simpliciter nominata statua, sine determinatione Rachelis, quod ejus non esset statua *Gen. 35, 9*.

VIII. Primò jubentur erigere turriculam seu pyramidem hæc ratione, scilicet, 1. duodecim lapides exportare è medio Iordanis, eo tempore, quando fluvium illum siccis pedibus transierunt. 2. eos lapides, ritè & aptè compositos, calce oblinere. 3. artificiosè illis lapidibus, calce oblitis, inscribere Decalogum. *Factum illud est Ios. 8. post captam urbem Haj.*

IX. Hoc autem monebat 1. tum de facto miraculoso transitu per Iordanem. 2. tum de Lege, in Ecclesijs Israëlitis sine fine retinenda & diligenter inculcanda. 3. denique licitas esse (memoriæ causâ) sculpturas & picturas, sicut etiam ex exemplo Rachelis *Genes. 35, 20. constat.*

DEIN



X. DEINDE jubentur ibidem extruere altare ex lapide per ferrum non dolato, super quo primum holocaustum offeratur, post ingressum in terram promissam, pro gratiarum actione, cum solenni congratulatione & publicâ læticia, propter terram traditam.

XI. Hoc altare representat Christum, cuius nulla erat spes tempore exinanitionis futuræ, & simul monet, semper etiam & cum primis Evangelium unâ cum Lege in Ecclesia verâ custodiendum: item significatur, neminem intrare posse in benedictam patriam, nisi prius pro eo sacrificaverit Christus.

XII. Non debuit autem sacrificium aliquod super hoc altari unquam repeti, quia hic actus debebat tantum esse unicus.

XIII. Quapropter gravissimè peccarunt, qui postea ibidem magnum Templum exædificarunt, & in eodem sacrificia sæpius obtulerunt, sicut testatur Samaritana, sciscitatura ex Christo, *utrum non peccarent, qui alibi quàm Hierosolymis sacrificarent Iohan. 4.* cum inquit ad Christum; *Patres in hoc loco adorarunt: sive patres, secundum quorundam sententiã, intellexerit illos Samaritanos, qui vixerunt post liberationem Iudæorum ex Servitute Babylonica, & à Iudæis Esdr. 4. ad reparationem templi Hierosolymitani adjuvandam non admittebantur, (vide Lyram super Iohan. 4:) sive Iudæos ipsos, qui circa Philippi Macedonis & Alexandri Magni tempora hoc fecerint, ut narrat Iosephus lib. 11. antiq. c. 7. & 8.*

XIV. Et hoc templum Samaritanum, contra DEI verbum factum in loco, à patribus quidem olim sacro habito & frequentato, fuit multiplicis Idololatriæ ansa, de qua vide *Ioseph. lib. 12. Antiquit. c. 7.* ubi etiam tandem Simon Magus multos dementavit *Act. 8.*

XV. Malè igitur cedit, quoties, relicto DEI verbo, antiquæ consuetudines, vel locorum vel aliarum rerum, citantur,

I. I. Altare in  
Ebal.

Idololatria Sa-  
marita. Wo  
Gott einen  
Tempel hat/  
da bauet der  
Teuffel eine  
Capell dane-  
ben.



In Garizim &  
Ebal, duobus  
monticulis prope  
urbem Sichem,  
proclamata be-  
nedictiones &  
maledictiones.

sicut Pontificij in excusando calicis plagio, allegant barbas viro-  
rum, abstemios, calicis effusiones, & similia.

XVI. DENIQUE jubentur stare & pronunciare Amen  
benedictionis super obedientes in monte Garizim, Simeon, Le-  
vi, Iuda, Isaschar, Ioseph & Benjamin, Lea & Rachelis filij,  
sed maledictionis super inobedientes in Ebal, Ruben, Gad, Aser,  
Zebulon, Dan, Naphthali, ancillarum filij, unà cum filio ince-  
stuoso Ruben, & Sabulon, natu postremo, & quasi dignitate  
minore. Intermedio loco stetit Moyses, Sacerdotes & Levitæ  
benedicendi & maledicendi officio fungentes, & alternatim  
se se convertentes modò ad benedicentis, modò ad maledi-  
centis populi Amen audiendum.

XVII. Id significabat, de DEI severitate vel rigiditate  
tandem conqueri nunquàm posse vel debere, qui proprio ser-  
mone tale de suis peccatis iudicium pronunciaffet ipse.

XIIX. Testatur itidem hæc Materia, quanto odio DEUS  
prosequatur peccatum, & quod ipse nequaquam sit causa  
peccati, ut pote qui peccatores tantis plectat supplicijs, in-  
primis patheticum est, quod singulis benedictionibus & male-  
dictionibus totus populus acclamando addidit vocem A-  
MEN, hoc est, fiat, quâ fatetur, se debere DEO obedienti-  
am, pro tam multis beneficijs, & petit, ut ingratos adversus  
verba ejus delinquentes puniat ipse.

XIX. Sic enim peccatores convictos, conscientia fateri  
cogit, quod justa sint supplicia, utpote quæ ex propriæ con-  
scientiæ iudicio, & ex verbo DEI prærecitato proveniant.

XX. Numer. 5. bis acclamabat mulier suspecta, cum ebiberet  
aquam amaram, Amen, Amen, & sequebatur certissimus even-  
tus, ita ut intumesceret Vterus & putresceret femur, si noxia  
esset. Tam certò nos quoque statuamus certò pœnas divinas  
senturos, quotquot contra conscientiam in sceleribus sese  
volutant.

XXI. Sicut autem ibidem mulier insons per gratiam DEI  
Specia-



specialem filium concipiebat, si antea fuisset sterilis: ita certò certò effectum suum sortientur suavissimæ benedictiones, quibus alicui precamur gratiam DEI, & corporalia bona, addita voce Amen. Legantur pleræque conclusiones Epistolarum Apostolicarum *1. Thess. 5, 27. & 1. Cor. 14.*

XXII. Ideò etiam vult Apostolus, ut auditores in fine utilitatem clausulam illam, tanquam epitomen totius precati-  
onis adjiciant, ut significant se eadem petere, adeoque ut con-  
stet totius Ecclesiæ vota esse conjuncta. In Braccarensi con-  
cilio primo. capitulo 21. presbyteri salutant populum his  
verbis, **DOMINVS VOBIS CVM**, & respondet pres-  
bytero totus populus, Et cum spiritu tuo, id est Dominus  
**TE CVM**. Matthesius monet, hanc debere esse summam  
consolationem ministrorum, cum totam ecclesiam hæc pro-  
ipsis orare audiunt.

XXIII. Vtræque autem, benedictiones, & maledictiones,  
respiciunt terrestria bona potissimum, ut inde colligendi sit  
opportunitas, obedientibus, & inobedientibus multò magis  
æternam constare debere seu salutem seu perniciem.

XXIV. Porro maledictionibus omnique infelicitate im-  
plicatur 1. qui habet idola. 2. qui vilipendit seu vilificat pa-  
rentes suos. 3. qui dolos erga proximum exercet. 4. qui cecos vel  
corpore vel anima facit impingere. 5. qui vel non dicit *Ius*, vel im-  
pedit quo minus dicatur *Ius advena, pupillo & vidua*. 6. qui cum  
noverca committit incestum. 7. qui cum pecore coit. 8. qui com-  
mittit incestum cum sorore, 9. qui cum nuru scortatur. 10. qui  
clàm percutit proximum, ita ut testibus convinci & puniri neque-  
at. 11. qui in Magistratu constitutus accipit munera, ut pervertat  
iudicium innocentium. 12. qui non permanet in omnibus reliquis  
mandatis **DOMINI**.

XXV. **PRIMUM** autem per se satis apparet, undecim  
peccata quæ devotentur, talia esse, quæ clàm fieri solent, ex  
spe occultationis & impunitatis, unde etiam *v. 15. & 24. ad*

*Quinam male-  
dicantur divini-  
tatis.*

*Propter CLAM  
perpetrata pec-  
cata divinitus  
maldicantur ho-  
mo.*

*ditur.*

viro-  
men  
Le-  
filij,  
ser,  
nce-  
tate  
vita  
atim  
ledi-  
tate  
ser-  
EUS  
aufa  
in-  
ale-  
A-  
enti-  
rfus  
ateri  
con-  
ant.  
eret  
ven  
xia  
inas  
fese  
DEI  
cia-



ditur expressè de illis, qui (*in abscondito*) ponunt idola, qui (*clàm*) percutiunt proximum.

XXV I. Nihil autem usitatus est, quàm clàm exercere omnem impietatem & injustitiam, clàm maledicere DEO, clàm calumniari & diffamare proximum, clàm furari & scortari, clàm & in tenebris nocere proximo, ita ut plerorumque factorum autores nunquam, nunquam, ulli, ulli hominum in hac vita innotescant, neque in hac vita legitimè à Magistratu vindicari & puniri queant.

*Consolatio eorum, qui clàm injuriis afficiuntur.*

XXV II. Summam igitur habeant hoc loco sibi propositam consolationem illi, qui injurijs clàm afficiuntur, quod DEVS omnia videat & annotet, clandestinasque machinationes fulmine maledictionis suæ severissimè ita visitet, ut injuriam inferentes omni corporali prosperitate privet, & omni infelicitate obruat.

*Hoc terreat omnes, ne clàm peccent in proximum &c.*

XXV I I X. Id quod ipsum movere debet eos, qui leviter & clàm aliorum vitæ, liberis, bonis, famæ struunt insidias, quod divinam incurrant nemefin, etiamsi à nullo unquam homine in factis, vel post facta, deprehendantur.

XXV I X. Ergo mirari desinant, qui sæpè senectutem experiuntur omnium malorum genere oneratam & obrutam, neque tamen accusari sese posse putant ullius manifestæ injustitiæ. Scilicet recordentur dierum juventutis & virilitatis, aut quandoque ipsius senij, & cogitent, quæ arcana seu quæ clam in proximum designarint.

XXV X. Sint igitur admoniti juvenes, ut inde à juventute discant fugere clandestinas molitiones, scortationes, diffamationes, injurias, machinationesque quascunq̃e adversus alios, si modò, cupiunt successu ætatis felicitatem experiri corporalem, aut si fecerunt, maturè redeant in viam.

*Etiã alia clandestina peccata gravi maledictione divina plebuntur.*

XXV I. DEINDE pro more suo sacratissima scriptura, aliquot peccatorum species denominat, ut doceat, subijs intelligendas esse alias omnes similes, quapropter non tantùm

hæc



hæc arcana; sed & alia omnia & singula, majora & minora  
qualiacunque, vindices divini numinis sentiunt iras.

XXXII. Immo, hæc appendix addita, *non tantum ad occul-  
ta, sed etiam ad quævis manifesta peccata* & ad omnia jota sese  
extendit: Maledictus qui non servat omnia, quæ sunt in Le-  
ge, ideoque à Paulo ad *Galat. 3, 13*, ea repetitur, quod Christus  
pro nobis sit factus maledictum, ut nos à maledictione Legis  
liberaret.

XXXIII. Capite *Deuteronomij 28*. explicatur, *quidnam ve-  
niat nomine benedictionum & maledictionum*, leu quid contin-  
gat divinitus benedictis & divinitus maledictis, ut sciant utri-  
que, nimirum pij, quarum felicitatum participes fieri queant,  
si affectus compescere, & ad normam divinorum mandato-  
rum dirigere studuerint: Impij verò quot, quales & quantas  
infelicitates metuere, expectare & experiri cogantur, si Le-  
gem DOMINI petulanter contempserint & furiosè con-  
culcaverint.

XXXIV. PIO igitur obedientiæ suæ hæc promittuntur  
munera, quod pro poëtica figura, à BENEDICTIONE,  
tanquam à persona quadam, inquiretur, invenietur & ita  
APPREHENDÉTVR & BEABITVR, ut quod-  
cunque cogitaverit, cœperit, fecerit, felicissimè assequatur.

XXXV. *In specie autem hac habebit, quod nimirum erit be-  
neditus in Vrbe & in agro, quod erit beneditus fructus ven-  
tris sui & fructus terræ suæ, & fructus jumentorum suorum,  
quod erunt benedicti greges armentorum suorum & greges  
ovium suarum, quod erunt benedictæ sportulæ plenæ, &, quæ  
post cibationem in illis reperientur, reliquæ, quod erit benedi-  
ctus in ingressu & in egressu, quod item erit beneditus in bel-  
lo, beneditus in aliarum omnium rerum tractationibus, be-  
neditus denique in alijs omnibus & c.*

B

Esse

Argumentum  
cap. 28. Deut.

Benedictio in-  
troducitur tan-  
quam PERSONA  
viventis.



Benedictum esse  
in urbe quid sig-  
nificet. I.

**XXXVI.** *Esse benedictum in urbe significat* i. habere cum longævitate incolumitatem, robur & exoptatam valetudinem corporis, qualem in Mose describit postrema pars Deuteronomij, & in multis senibus ostendere licet, quibus nunquam doluit caput aut dens, quorum oculus in extrema senectâ non caligat, nec genarum caro fit rugosa, aut pilus canus aut manus tremula, aut auris surda, aut lingua laxa (*Ecclesiastes cap. 12*) sed ventriculus, & epar, manus & pes ritè & perfectè officium suum facit.

**II.**

**XXXVII.** *Deinde habere pacem, tranquillitatem & justitiam in loco domicilij, concordiam, benevolentiam, amicitiam sinceram, & favorem civium seu incolarum, vicinorum & peregrinorum, fraternam conjunctionem cum vera Ecclesia sui loci membris.*

**III.**

**XXXVIII.** *Tertiò, conjugium pium, honestum, pacificum, tranquillum, fecundum, Genes. 1, 28, & 9, 1. Psal. 128. ita ut partus sint faciles.*

**IV.**

**XXXIX.** *Quartò liberos, nepotes & posteros proportionabili staturâ, formâ exoptatâ, sanitate perpetua felices, Judic. 13, 14, qui animâ totâ & facili pectore piam educationem suscipiunt, benè proficiunt, DEVM cum sanctitate timent, parentes cum gratitudine honotant, proximo in Ecclesia, scholis & Republica cum humilitate & alijs virtutibus inservire, prodesse & placere student.*

**V.**

**XL.** *Quintò famulitium morigerum & fidele.*

**VI.**

**XLI.** *Sextò domorum & supellectilium domesticorum durabilem stabilitatem, sicut Israëlitis in deserto vestes nullæ inveteraverunt (*Deut. 8.*) sicut item multorum sæpè casulæ diutius durant, quàm aliorum lapidea palatia; multorum tenues vestes longo tempore usurpantur, aliorum preciosæ citissimè rumpuntur.*

**VII.**

**XLII.** *Septimò pane n quotidianum hospitiumque, ne vagando & mendicando stipem petere & stabula aliorum visitare*

tare



are cogantur, sicut Martialis rectè annotat, perennem focum.

**XLIII.** *Octavo*, fortitudinem & integritatem animæ, propter conscientie puritatem, quæ nullius adventum, sermonem, rumorem expavescere potest, *quæ magna est gloria* 2. Cor. 1, 12, & *dulcissima senectutis nutricula* vel ἀγαθὴ γρηγοῖρα, secundum Pindarum apud Platonem in lib. 1. politic. & *verè hic murus aheneus erit, nil conscire sibi, nulla expavescere culpa* &c.

**VIII.**

**XLIV.** *Esse benedictum in agro significat.* 1. habere in hortis, agris, vineis, pratis, silvis, prædiolis, sive ex hereditate, sive nostro labore, utrinque non sine divina providentia dispensatione partis, quoad culturam in arationibus, sationibus & collectionibus frugum, opportunitatem serenitatis, commoditatem tempestarum pluviarum, ventorum, nivis, utilitatem fructuosam & proventum uberem & abundantissimum, quo labores hominum & animalium largissimè compensantur, unde item alijs possimus mutuò dare, nos mutuò accipere non opus habeamus, sicut verè magnum DEI donum est, cum cives & rustici non tantùm necessaria habent, sed & ad voluptatem facientibus & superfluis abundare incipiunt.

*Esse benedictum in agro quid significet. I.*

**XLV.** II. *Ex mandato divino, quod datur benedictioni tanquam PERSONÆ, ut veniat, & perseveret TOTA apud* *pium*, habere commodam, jucundam & utilem prosperitatem, in accipiendis & alendis volatilibus, anatibus, anseribus, gallinis, ut etiam natatilibus seu cujuscunque generis piscibus, in tractandis & fovendis seu educandis pecoribus omnium specierum, ut equis, vaccis, ovibus, suibus &c. Gen. 30, 27, & 49, 25, Job. 42, 12, unà cum perpetuo eorundem animalium seu ipsorum corporum vigore, incremento & temperamento, speciei ipsius augmento vegeto, spectato, florente.

**II.**

**XLVI.** III. Durabilem bonitatem frugū & farinæ, lupulorum, radicū, herbarū, liquorū, pomorū, pirorū, omnis generis

**III.**



esculentorum & potulentorum, in horrea, granaria, cellas repositorum, ita ut semper virtutem proprietatemque suam excellentem, hoc est, ut scriptura vocat. baculum retineant, unde homines & pecora quam maximè roborentur *Exod. 25, 28*, sicut *Danielem esus leguminum* pulchriorem & saniozem efficiebat, quam multiplices lautitiæ regie præstabant reliquis commilitonibus *Daniel. 1*. & nunc propter similem benedictionem *DEI* vegetiores sunt aliqui rustici senes, principibus in flore ætatis constitutis multis.

17.

*XLVII.* IV. Patrimonij & bonorum partorum eam conditionem, ut substantia feliciter transeat ad posteros, illis sit diuturna, perpetua & fortunata.

Esse benedictum in egressu & ingressu, quid significet.

*XLIIIX.* *Esse benedictum in egressu & in ingressu* significat, quando prosperè & ex animi sententia, seu secundum voluntatem cadunt omnes aliæ actiones, *docentium 1. Cor. 15, 58*, *discentium Sap. 8, 19, 20*. *deliberantium seu consilia felicia captantium Es. 11, 2. 1. Reg. 4, 29*, *medentium Es. 38. in fine*, *cibos & potus, adeoque Oeconomiam curantium & apparantium 1. Reg. 4, 22*, *Gen. 31, 9, & 39, 5, & 49, 20*, *adificantium Gen. 6. 1. Reg. 6. & 7*. Vbi magnificentum templum septem annis, sed Regia, templo, quoad magnificentiam inferior, tredecim annis extruitur.

*XLIX.* *Manuariorum item artificum quorumvis Exod. 31*. quorum spiritum & manus agilitat & habilitat, felicitatque *DEVS: piscantium*, quibus pisces advocat, quales & quot vult ipse *Iob. 20, 8. Luc. 5: Aucupia tractantium* quibus volucres nisi adducat ipse, non certè per ventos assa columba veniet *Num. 11. Exod. 10. Es. 49. 11. Venantium*, dum aliquib. plus, aliquib. minus, his citius, illis tardius suppeditat *Gen. 20, 9; peregrinantium*, quib. aut multum, aut parum molestiæ procreat, expediendique negotia occasiones alias atque alias suggerit *Deut. 8, 4, Tob. 5. & seqq.*

*L.* *Negotiantium* item in periculoso elemento, quibus vel salvas præstat naves, & merces, vel demergit merces & personas,



sonas, aut solas merces 1. Reg. 10, 22, Actor. 28, commercia alia  
qualiacunque exercentium 1. Reg. 10, 28, & seqq:

L. I. Salispræterea auri, argenti & alias fodinas tractantiū Deut.  
8, 9, Job. 28. & ita omnium aliorum similium inservientiū mer-  
cenariorum, quorum aliqui dicuntur & deprehenduntur ha-  
bere feliciores manus præ alijs, & citius longè res & operas  
absolvere, nimirum pro dono DEI diverso, etiam inter is-  
tos tenuissimæ conditionis homines diversimodè tuam gra-  
tiam distribuentis, sive sint opiliones, bubulci, hortulani, ta-  
belliones &c.

L. II. *Esse benedictum in bellis justis* significat, necessarijs de-  
caussis suscepta ex animi planè sententia, sine multis copijs,  
sine multi sanguinis cruentâ profusione, sine attenuatione  
publicarum & privatarum opum, citò finire, hostibus superi-  
orem evadere, dominarique, ut concordare cogantur, aut  
saltem malignando pergere non audent, atque ita pax diuturna  
instauretur.

L. III. Et nota sunt exempla, quomodo mœnia Iericho  
spontè corruerint Jos. 6: quomodo terrore sonitico consternati  
fugerint numerosissimi exercitus Iudic. 11.

L. IV. *Esse benedictum in celebritate nominis*, significat habe-  
re honestam existimationem & auctoritatem apud externos,  
propter puritatem doctrinæ, de vero DEO inter nos sonan-  
tis, propter singularem gratiam divinam, quam ex defensione  
nostri adversus hostes cernunt, propter vitæ sanctitatem  
inter nos vigentem, adeò ut propter hæc ipsa nobis nocere  
vereantur, prodesse gestiant, nostramque familiaritatem ex-  
optent & magnifaciant exteri Deut. 2, 25. 1. Reg. 4, 34.

L. V. *Esse benedictum in potentiâ imperiosâ* significat experiri  
divinam protectionem clementissimæ gubernationis Magi-  
stratus proprii, tranquillitatem item patriæ, securitatem ad-  
versus externos dominos, principes & reges atque Tyrannos  
Exod. 34, 23, 24, 1. Reg. 4, 24. ita ut omnes nos & nostros princi-

*Esse benedictum  
in bello quid si-  
gnificet.*

*Esse benedictum  
in celebritate no-  
minis quid signi-  
ficet.*

*Esse benedictum  
in potentia  
quid significet.*



pes relinquunt in pace, nobisque concedant nostram *à* *voluntate*, nec cupiant nos sub jugum suum trahere.

*LVI. Hæc igitur largissima benedictionis capita, non ex astris aut ex secundis causis alijs, sed principaliter, originaliter & plenariè liberrimeque ex solius DEI voluntate & moderatione proveniunt: Itaque DEV M veneretur & à pueritia vereatur, qui successu ætatis in hisce exoptat experiri fortunam seu DEI clementiam.*

*De maledictionibus divinis.*

*LVII. E contrario autem, quantum furorem DEV S concipiat adversus peccata & quam multis, varijs gravibusque calamitatibus improbos persequatur, apprehendat, apprehensos obruat & evertat, ex illis apparet, quæ hoc loco minatur, quod nimirum erunt maledicti in urbe & agro, maledicti in egressu & in ingressu, maledicti in bellis, maledicti in mentione nominis, maledicti denique in imperiosa politia &c.*

*LIX. Esse maledictum in genere significat propter peccata (ut expressè innuitur v. 15, 20, 45, 47, 58) non tantum à DEO deserì, sed etiam impediri, & Diabolis exagitandum excruciantumque committi, adeoque divinitus affligi in sequentibus classibus nimirum & in specie.*

*Esse maledictum in urbe quid significet.*

*I.*

*LIX. Esse maledictum in urbe significat PRIMO non esse longævum, juxta illud Psal. 55, 24, Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos: quod ad omnes & singulas alias species peccatorum est extendendum, pro more sacræ scripturæ, nimirum, viri idololatæ & blasphemi non dimidiabunt dies suos, Viri sabbati profanatores & maledicentes DEO, non dimidiabunt dies suos: Viri parentibus olim immorigeri, non dimidiabunt dies suos: Viri olim in juventute impudici mendaces, furaces &c. non dimidiabunt dies suos.*

*Scilicet Nisi DEVS alijs de causis etiam pios juvenes abripi*

*LX. Quin isti, quamprimùm florem ætatis consequuntur, dulcissimamque vitam agere incipiunt & gestiunt, in mortem subitanam absorbentur, & velut flores agrorum reje-*

*sti,*



ai, emarcescunt, & comburuntur, ut nullibi amplius ap-  
pareant.

LXI. Deinde in damnata vitæ temporalis brevitæ experi-  
ri aut perpetuam aut certè creberrimam invaletudinem ma-  
nuum, pedum, internam continuam & gravem imbecillitatem,  
adeoque virium universale detrimentum nimis præmaturum,  
ubi senecta virilitatem ante annos præcurrit, ut nec cibos co-  
quere, nec officijs suis quibuscunque præesse queant.

LXII. Tertiò experiri morbos externos alios graves toto  
corpore, propter cibum & potum copiosè assumptum qui-  
dem, sed conversum in malos humores, scilicet, hulcera in ge-  
nibus, cruribus, brachijs, collo, dorso, ut à planta pedis ad ver-  
ticem nihil sit sani Deut. 28, 25. aut etiam alios, quos divulga-  
re pudeat, 1. Sam. 5. in ano, in genitalibus, in ventre, qui sint fœ-  
di, novi, ignoti, acerrimi, Ægyptiaci, Gallici, Hispanici, ut  
nunc solent vocari apud nos, & ex omni parte immedicabi-  
les seu incurabiles.

LXIII. Hac autem omnia fiunt, quando nimirum I. DEVS  
Dæmoni concedit licentiam grassandi in corpora, membra,  
humores, spiritus, actiones, qui humores subito & diversimo-  
dè commiscet, inde varia & gravia, omniumque medicorum  
sagacitatem effugientia symptomata, adeoque diuturna,  
modò tenacia, modo per vices redeuntia, interna & interna  
procurat.

LXIV. II. Quando DEVS in naturalibus, & tenuibus la-  
sionibus corporis inhibet & sistit vim naturalem remediorum,  
ut quod in alijs illa possunt, in tertio & quarto exercere ne-  
queant, adeoque in ipsis naturalibus morbis tamen medicor-  
um, quantumvis expertissimorum, remediorum quantumvis  
exquisitissimorum & insitarum naturarum & facultatum ad-  
huc plus satis vegetarum operæ sint frustraneæ.

LXV. Id quod utrumque usu sæpe venire solet, in tumori-  
bus, & hydrope, in febribus, in cacochymijs, in peste, in auru-  
gine, qui omnes ideo describuntur, quod sint SERV I &

IX.

XII.



**CARNIFICES DEI**, jussu divino persequentes,  
**APPREHENDENTES & EXCRUCIANTES**  
hominem, nec cessantes, donec ipsum perdiderint, *Deut. 28,*  
*2, 27, 35. 60, 61. Psal. 78, 49. Luc. 13, 11, 16.*

**LXVI.** Neque tantum in proprijs corporibus hæc impro-  
bi solent experiri, sed etiam easdem afflictiones, ut plurimum  
per generationem transpagare in sobolem, ut hoc pacto do-  
lorem in ipsis viventibus duplicet **DOMINVS**, quando  
non tantum se istis implicatos cernunt, verum etiam in po-  
steritate sua eosdem affectus & cruciatus perseveraturos pro-  
spiciunt *2. Reg. 5, 27.*

**LXVII. QVARTO**, experiri dissidia civium intestina,  
varia amicorum & inimicorum odia, perpetua & sinistra ju-  
dicia incolarum & exterorum de te, de doctrina & vita tua,  
de negotijsque tuis, amicitias fucatas, privatas adversum te  
molitiones, subsannationes, dissentientes à te amicos & pro-  
pinquos, in statu religionis veræ.

**LXVIII. QVINTO** experiri conjugium breve, turbu-  
lentum, infelix & miserrimum *Tob. 6, 14. Deut. 28, 30.* ubi hoc  
anno tibi desponsatam & copulatam altero anno capit alius  
dulcissimam vitæ sociam, aut ubi iurgijs, maledictis que ux-  
oris enecaris, aut subinde cum uxore afflictiones post afflictio-  
nes multiplices sustines, *Deut. 28. v. 30. Iob. 6. 14.*

**LXIX. SEXTO** habere liberos, corporum forma & sta-  
tura monstrosos, subinde invalidos & morbidos, animæ & ju-  
dicii imbecillitate & fatuitate, impietateque famosos, qui  
omnem educationem salutarem respuunt, **DEO** sunt abo-  
minabiles, hominibus molesti, familiæ dedecori, terræ oneri  
*1. Sam. 2, 22. & seqq. 2. Sam. 16.* Huc item pertinet famulitium  
imnorigerum, infidele, insidiosum.

**LXX. SEPTIMO** experiri domorum & supellecili-  
um domesticorum minus durabilem conditionem, ut videli-  
cet, quæ hoc anno comparantur & extruuntur, altero cor-  
rumpan-



rumpantur & corruant, ita ut pro novis parandis & reparandis aliquid de substantia capitali subinde infumere sit necesse, nec unquam ad aliquas mediocres divitias perveniri queat.

LXXI. Imò sæpè tandem domus & utensilia & omnis substantia necessarijs de causis est divendenda, adeoque in alias manus venit, quod ijs malè usi fuerint veteres possessores isti, ut ipsi prætereuntes pristinas possessiones postea magno cum animi dolore cogantur repetere illud: ô domus antiqua, quam dispati dominaris domino.

LXXII. *Octavo* habere perpetuò malam conscientiam. Nec levis est pars maledictionum divinarum in medijs calamitatibus sentire in anima cruciatus malæ conscientia, quæ præsentia & futura & alia sæpè numero omnia tuta, omnes quorumvis hominum accessus & ingressus, imò omnem forium pullationem tamen timere, & noctu interdumque expavescere cogitur.

LXXIII. Hoc est quod *Deuteron. 28. v. 65.* dicitur: *dabit tibi DOMINUS cor pavidum, deficientes oculos & animam consumptam mœrore.*

LXXIV. Quibus verbis describit animi malè conscij dolores, tristitiam, anxietatem, pavores, metum amittendæ vitæ, expectationem mortis, omnibus momentis ferè impendentis, ut videre licet in ijs, qui sunt educendi ad ultima supplicia, qui sustinent dolores ipsis infernalibus flammis graviores, quod pendet vita ante ipsos, in somnijs exagitantur, & perturbantur, supputant dies & horas, unde manè excitati desiderant vesperam, vesperi ingruente nocte auroram expectant, ut citius finiatur angor, quo torquentur.

LXXV. *Esse maledictum in agro significat* I. nunquam vel ex hæreditate vel ex alijs modis nancisci prædia ulla, ullos agros, hortos, vineas & similia. II. aut in illis ipsis quoad cultum arationis, sationis, collectionisque nullam experiri commoditatem serenitatis, tempestarum pluviarum, vento-

C ram

*Vitam pendentem de Christo etiam exponunt patres, ut Iustinus, sed allegorice.*

*Esse maledictum in agro quid significet.*



rum, nivis, multò minus fructuosam aliquam & abundantem recompensationem, pro tot hominum & pecorum laboribus, proque tot sumptibus & impensis factis, quod fuerit cœlum æneum, terra ferrea, pulvis loco pluviarum, quod omnia scatuerint locustis, vermibus & similibus insectis, & bestiolis noxijs, præter grandinem, pruina, rubiginem adeoque sive lursum sive deorsum spectarit homo, omnia sibi hostilia & adversa deprehenderit, *Deut. 28, 23, 24. 38, 39. 40, 42. 1. Sam. 12, 17.*

*LXXVI. III. Nullam consequi felicitatem in cujuscunque generis pecoribus & animalibus coëmendis, educandis & ad operas quotidianas usurpandis Exod. 7, v. 21. & 8, 17. & 9.*

*LXXVII. IV. Experiri facilem & crebram corruptionem frugum, esculentorum & potulentorum quorumvis, in horreis, granarijs, cellarijs, in coctionibus intra furnum: comestionem & bibitionem, non modò inutilem, sed etiam perniciosam, ita ut ex egregijs alimentis, corruptissimi exoriantur humores Levit. 26, 16, Ezech. 4, 16.*

*LXXIIX. V. Patrimonij & partorum bonorum eam conditionem, ut de malè quæ sitis, vel de bonis ex favore principum emendicatis, aut alia ratione comportatis, vix gaudeat unus & alter hæres, nedum tertius & quartus, sed amittat primus hæres, patris vineam, domum, hortum Deut. 28, 30.*

*Esse maledictum in ingressu & egressu quid significet.*

*LXXIX. Esse maledictum in ingressu & in egressu significat, quando vanæ, inutiles & infructuosæ sunt omnes actiones docentium, discentium, consultantium, ubi propter subtrahitum spiritum sanctum errores consiliorum perniciosissimi oriuntur, ut homo sua imminentia mala nec videat nec fugere queat Rom. 1, 24, 25. Eph. 4, 18, 19. unde palpant cæcutientes, ut noctu Sodomita Gen. 19, & Elymas cæcus Act. 13. Deut. 28, 28, 29. 2. Sam. 15, 31.*

Præterea



LXXX. Præterea *medentium* Luc. 8. 43. *Oeconomias curantium* Gen. 30, 30. *adificantium* Gen. 11. Luc. 13, v. 4. *manuariorum artificum quorumcunque, piscantium* Ioan. 21, v. 3. *aucupantium, venantium* Gen. 27. *peregrinantium, navigantium* Iona. 1. *commerciorum quæcunque, ut & metallica & metallaria, salis &c. tractantium, mercenariorum quorumvis &c.*

LXXXI. Ex qua infelicitate in actionibus & ita in omnibus contractibus alijs, itidem paupertas & suppressio contumeliosa sequitur, ut peregrinis incipiant omnia sua debere incolæ Deut. 8. v. 43. 44. Gen. 47: sicut Israëlites crescebant supra Ægyptios opibus & auctoritate Exod. 1. v. 7. Act. 7. v. 17.

LXXXII. *Esse maledictum in bellis*, significat, in bellis iuste susceptis, tamen DEVM habere adversarium Deut. 1, 41. & seqq. Num. 14, 40. Iudic. 20, 23. & seqq. aut alioquin experiri seditiones, conspirationes & bellicos rumores & apparatus adversus patriam Luc. 21. 26. ubi locum aliquem simul habet omnino illud Poëtæ: Intran in thalamos publica damnatos, & fiunt excursions, devastations, excidia, obsidiones horrendæ & diuturnæ, ubi res Oeconomica, agricultura, negotiationes, non sine perpetua clade silent, accedit fames, pestilentia &c.

LXXXIII. *Quid dicitur miserius quam tunc experiri*, quod hostes ferociunt & victis insultant, tuos in captivitatem abducunt, sine misericordia & cum contumelia, occisos feris & avibus consumendos projiciunt, in conspectu tuo animalia tua, oves, boves, asinos mactant, ut pro labore impenso nihil gustare & referre queas de illis, in conspectu tuo occupant & uno ictu oculi perdunt omnia, quæ tibi tuisque liberis gratissima, vel labore vel ex gratia Principum jam diu & dudum comparasti, vel à parentibus comparata, plerunque per fas & nefas congesta recordaris, quando segetes & vineas

*Esse maledictum in bellis quid significet.*



& fructus alios ab alijs rapi, jamque alios inde ditari, te verò ad extremam indigentiam pervenire vides.

**LXXXIV.** *Quid miserius, quam cernere te, cum civibus & regetuo, abduci, delicatissimos liberostuos in servire alienis, & durissimis quidè dominis, ita ut juvare eos toto corde gestias, sed nequeas, deficientibus præ dolore ad istum conspectum oculis tuis, & præcordijs tuis sese disrumpentibus, imò stupentibus, nec quicquam consolationis percipientibus, nisi hoc, quod insuper hostes tibi regerunt, te illa quàm maximè meritum esse, teque justissimè ita exagitari & plecti.*

**LXXXV.** *Quid miserius, quàm tunc puniri extrema egestate & in illa in servire alijs, propterea quod antea in abundantia DEI honorem & cultum rejecisti. Sic etiam extra bella punit DEVS adolescentes, qui in adolescentia sumptibus abundant, sed ab utuntur in Academijs, & alibi. His igitur nisi maturè pœniteant, tandem extremam mittit paupertatem, ut cogantur in tenuissimis sudare officijs, vix tamen attri panis tantum corradere, unde se & suos exaturent, Deut. 28, 25, 26, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 60, 62.*

**LXXXVI.** *In primis igitur tantæ pœnæ sequuntur ingratitude pro beneficijs divinis, aut propter abusum donorum DEI, & quod non cognoverunt homines tempus visitationis suæ, & malè collocatam aurei temporis & aurearum studendi, operandi, laborandi, pœnitendi occasionem, Deut. 28. v. 47.*

**LXXXVII.** *Quid miserius quam perpetua experiri exilia, propter peccata & meritò quidem, & in exilijs contumelias, contemptum, improperia, opprobria, injuriam, ita ut DEVS videatur lætari tuo malo, sicut tu lætabaris prius ex malitia, & notæ sunt alioquin miseræ exiliorum, de quib. Poëta: Nemo vagos curat, &c.*

Non exul curæ creditur esse DEO.

Esse



LXXVIIIX. *Esse maledictum in mentione nominis, significat, habere nihil quicquam auctoritatis apud suos & externos, propter doctrinae impuritatem & idololatriam, propter poenas divinas quibus cumulantur, propter vitam turpissimam, unde omnes tibi nocere gestiunt, tuamque familiaritatem detestentur.*

LXXVIIIX. *Esse maledictum in potentia imperiosa, significat ex divina maledictione metueret exterorum principum vim & dominium, experiri multorum principum patriae mortem, infelicitatem, imprudentiam &c. Ecclesiast. 10, 16.*

XC. *Nec sufficit divinae Nemesis simpliciter hisce maledictionibus premere pravitatem humanam, quin propter crescentia delicta, quandoque multipliciter & quater sextuplicat suas poenas & gravissimè detonat & terret quem vis ipsa Levit. 26, 6, usque ad 29. ut verè non sit pax impijs, nulla hora secunda, nulla Creatura fidelis. Legatur integer jam nominatus textus.*

XCI. *Quoties igitur poena sive privatae sive publicae non modo non remittunt, sed insuper de die in diem crescunt, certissimum inde argumentum capiamus, etiam iram divinam nihil temerè, & per consequens etiam malitiam hominum nondum cessare, adeoque nullam poenitentiam ab hominibus agi cepisse, sic ut Iona 1, v. 13, eò furiosius intumescit & saevit mare, quo diutius cunctantur in Iona peccata sua confesso submergendo.*

XCII. *Ecclesia etiam his maledictionibus saepenumero involuitur, propter sua quoque peccata, imò magis iisdem premitur quam improbus mundus, quia cum magis intelligat voluntatem DEI, illam tamen eò magis non perficere laboret, duplo vapulare debet. 2. Macc. 6, 14. Luc. 12, 47. Hebr. 12, 7, 8. Petr. 4, 17.*

XCIII. *Ac inde plusquam liquidum evadit, peccata propria esse ex hominibus, quibus idcirco tam dira comminatur*

*Esse maledictum in mentione nominis quid significet.*

*Esse maledictum in potentia quid significet.*



DEVS, qualia homines unicè fugere solent in hac vita, ut ad timorem DOMINI, ad pœnitentiam & ad sanctiorem vitam exuscitemur *Psal. 39, 12. & 106, 43. & 107, 17. Ezech. 12, 19.*

*XCIV. Excutiant autem singuli calamitatibus quibuscunque oppressi sinum suum, & aliquid peccatorum reuerent, ne vel ærumnas casu provenire somnient, vel DEVM iniustitiæ accusare ausint, licet quandoque alijs de causis, ut Iobum, ita pios per miseras in officio continere & probare sat agat DEVS.*

*XC V. Gravissimum autem hoc est, perhiberi maledictum à DEO, hoc est, esse eum, cui propter atrocità scelera horribiliter irascitur & infinita mala meditatur, DEU S esse anathema, Catharma, peripsema, βδέλυγμα, μιάσμα, alastorem, apotropæum, aliterium, id est, rem talem, cuius detestatio in columnas publicè proscribitur, esse purgamen, tum tollendum, aliquid funditè eradendum, abominandum, contaminatum, à nemine tangendum, cuius exitium publicas calamitates à reliquis avertit, pro quo non est orandum. I. Iohan. 5, 16.*

*XC VI. Et quia hæ comminationes, adhuc quotidie in impijs & impœnitentibus peccatoribus compleri passim videmus, ideoque easdem non solum Israëlitis denunciatas, sed singulis & universis hominibus quovis seculo metuendas propositas meminerimus.*

*XC VII. Etsi autem sæpenumerò multis gentibus & earum regibus singula acciderunt analogicè, tamen specialiter gentem Iudaicam comprehenderunt harum maledictionum præcipua capita in prima & postrema obtidione Hierosolymitana apud *Baruch 2. cap. & Ioseph. lib. 5. & 6. & 7.* de bello Iudaico, ubi carnem filiorum comederunt, multi captivi fuerunt abducti, triginta dati pro denario, navibus plenis aucti Alexandriam, ut inde venderentur in Ægyptum.*

*Daut. 28. in specie completum fuit in Iudeis.*

Et



XCIIX. Et 1. quia ultima obsidio propter spretum CHRI-  
STUM solummodò facta (*quia tunc idololatra non fuerunt*)  
complectitur omnia, quæ hoc loco prædicuntur, siquidem in  
omnes angulos mundi fuerunt dispersi, id quod antea nun-  
quã eis accidit, 2. *quia nemo hodiè ipsorum religionem suscipit, id*  
*quod antea faciebant infiniti homines,* 3. quia sine fine deserun-  
tur, & hodiernæ calamitatis duratio superat utriusque templi  
durationem: ideo.

XCIX. Completum esse scimus illud Daniel. 9: & finis ejus  
vastitas: Adeoque certissimè concludimus, in hoc quoque gra-  
vissimo capite & acerrimâ comminatione super improbos,  
verbum DOMINI non audituros, Moysen respexisse ad  
magnum Prophetam, quem scilicet ex osculari detrectarunt.  
C. Nos igitur nobis illud dictum esse recordemur, & nobis  
metuamus, ne & nos experiri habeamus illud Psal. 2, *ne forte*  
*irascatur filius & pereatis in via.*

CI. Capite Deuteronomij 29. quatuor continentur, I. ob-  
jurgatio pertinaciæ à v. 1. vsq; ad 10. II. repetitio pacti initi à  
v. 10. III. dehortatio à seductoribus. IV. certitudo securarum  
pœnarum super improbos.

CII. Ad primum quod attinet, quæritur, cum ante quadra-  
ginta annos in Sina pepigerit fœdus DEUS cum Israëlitis  
(de quo c. 5.) cumque tot eis ediderit stupenda, de quib. cap.  
8. & 10. ut istis Ægyptij commoverentur ipsi, (Exod. 10, 6. &  
12, 38. Num. 10, 31. & 11, 4.) & Gibeonitæ Ethnici converteren-  
tur (Jos. 9.) cur ipsi Israëlites his nondum potuerint ad veram pœ-  
nitentiam & sincerum cultum divinum perducì, quin potiùs in-  
terim eundem graviss. sceleribus contaminaverint (cap. 9.)?

CIII. Respondetur ad Questionem, quod DEUS, non dederit  
eis cor ad intelligendum & oculos ad videndum & aures ad  
audien-

*Aquila non pro-*  
*priè significat*  
*Deut. 29. Roma-*  
*nos, Similia 2.*  
*Reg. 18. Jerem.*  
*5. Thren. 4. E-*  
*zech. 17, 2. Haba-*  
*cuc 1.*

*Argumentum*  
*cap. 29. Deut.*

*I. Membr. cap.*  
*29. Deut.*  
*Questio.*

*Respons.*



Quid sit hoc,  
non dedi vobis  
vobis ad intelligen-  
dum.

audiendum. Id quod nequaquam in eam rapiendum est opi-  
nionem, quasi nondum in ipsis operari cœperit DOMINVS,  
ideoque penes DEVM resederit culpa, *sed ita exponen-  
dum*, quod tot miraculorum oblivio & extenuatio & con-  
temptus, cum negligentia perpendendi eorum circumstanti-  
as *ἀκριβῶς*, & agnoscendi Majestatem summam veri & vi-  
vi DEI, Israëlitis in hunc usque diem obstiterit, quo minus  
in ipsis internus auditus, seu internus assensus, unâ cum fidu-  
cia erga DEVM, & proposito sanctæ vitæ gigneretur.

CIV. Perinde enim est ac si quis diceret, *alterum ex audi-  
tis concionibus nondum à DEO illuminatum esse*, quia nimi-  
rum ille omnia audita è vestigio obliviscitur, non retinet, non  
ruminat, nec ex ruminatione mentem suam instruit & cor-  
rigit.

CV. *Veram esse hanc responsionem, διαρρηδν testatur Psal. 78, ab  
initio usque ad v. 27. nimirum quod obliiti fuerint mirabilia DEI  
v. 1, & addiderint adhuc peccare & provocare DEVM, pe-  
tenda nova miracula v. 7. eumque tentaverint, num etiam  
carnes in deserto procurare posset v. 8. Vide etiam Psal. 106.  
13, 21, 9. Econtra Matth. 13, 11. dicitur discipulis (qui verba  
audiunt & inquirunt, ac perficere student); Vobis datum est  
nosse (hoc est intelligere) mysteria regni cœlorum.*

Externus & in-  
ternus auditus  
excitatur quo-  
modo.

CVI. Fides igitur emergit ex frequentiore & penitior  
auscultatione & consideratione sacrorum oraculorum:  
Rom. 10, 17. *Fides ex auditu est*, item Gal. 3, 2. *spiritus accipitur  
ex fide per auditum*, Iohan. 17, 17. *Sanctifica eos in VERITATE,  
verbum tuum VERITAS*, Psal. 119, 172: *Omnia mandata  
tua sunt justitia.*

CVII. Quapropter *per verbum* non tantum externus com-  
mouetur auditus, sed etiam internus assensus excitatur, quia qui  
tibi in peccatis hærenti dicit: *Crede & confide mihi*, is idem fa-  
cit, ac is qui esurienti panem proponeret ac diceret: *Ede pro-  
positum tibi panem.*

Sicut



CIIX. Sicut enim hic tergiversans, cunctans aut abstinens suæ sibi causa esset afflictionis: ita ille verbo promisso & proposito non assentiens & confidens suæ damnationis fit verissima, sola & unica causa.

CIX. Ad secundum quod attinet, in eo fœdus in deserto initum antea inter DEUM & inter Israëlitas Exod. 19, 5, 6. repetitur seu renovatur. Deut. 5, 2, 3. & hoc ipso in loco partes pangentes hoc fœdus sunt duæ, altera DEUS, qui obedientibus & Leges suas observaturis promittit suam gratiam, hoc est terræ benedictæ possessionem & omnis generis felicitatem terrestrem in ea, quæ cœlestis, spiritualis & æternæ vitæ typus erat, altera sunt homines.

CX. Probè, probè autem ex hoc loco notandum venit, quinam sint homines, qui in fœdus DEI recipiuntur, nempe & specificè & signanter Israëlita adulti, principes eorum, seniores, præfecti v. 10: deinde parvuli, uxores, præterea ADVENÆ seu peregrini hoc est ETHNICI, item casores lignorum & haurientes aquam hoc est, quicumque servuli, adeoque omnium hominum ordines summi, medij & infimi v. 11. denique non tantum absentes, sed etiam præsentis, hoc est, non tantum qui nunc hic vivunt, sed etiam qui posterioribus seculis nascentur v. 14, 15.

CXI. Sicut enim in Sinacum omnibus & tunc adultis & tunc nondum adultis fœdus suum iniit: ita nunc idem facit, utrobique ad imitationem primæ omnium promissionis Gen. 17, 7, Ero DEVS tuus & DEVS seminis tui. Act. 7.

CXII. Omnes igitur & singulos sine respectu originis, personæ, conditionis DEVS fœderis sanctissimi participes esse voluit, sicut omnes admittit ad circumcisionem Gen. 17, 12. natos ex Agar, Sara, Cethura, omnes natos vel emtos, ex quocumque alienigena, item omnes credentes & circumcisos ad agnum paschalem accedere jubet Exod. 12, 43, 44.

CXIII. Nulli Chananæi, vel alij quicumque credentes proscribuntur à societate veræ Ecclesiæ Veteris Testamenti, sed

D

cre-

II. Membr. 107.  
29. Deut.

Universalis vo-  
catio Dei Deut  
29 ut omnes cre-  
dans.



credentes circumciduntur ex jussu divino in locis jam allegatis: Ideo etiam *Rom. 4, 11, 12*, Abraham dicitur pater circumcisionis, non tantum ijs, qui sunt in circumcissione, sed etiam ijs, qui incedunt in vestigijs fidei Abrahamæ, quæ fuit in præputio.

*Exempla Ethnicorum sub V. T. qui crediderunt.*

*CXIV. Ex Ethnicorum sanguine procreati fuerunt Mamre, Escol, Aner, nimirum ex Amorrhæis ( seu Gomorrhæis ) Gen. 13, 18. & 14, 13. 24. & 15, 16. & ad veram fidem conversi per Abraham, quem divinâ revelatione ex Vr chaldæorum educum, hinc inde vagari videbant & expectare à DEO locum, in quo vellet ipsum habitare, Gen. 12, 7, 8, 9.*

*Abraham licet supramodum dives fuerit, tamen post vocationem ex Vr Chaldæorum nec domum nec ad plantam pedis agrum ullum emit & proprium habuit.*

*CXV. Etenim Abraham, quantumvis haberet oves, boves, asinos, servos, famulas, aſinas & camelos Gen. 12, 16; tamen post vocationem nullibi sibi ædificat civitatem vel domum, sicut habebat Loth. Gen. 19, 1, 2. immò nec passum pedis in terra possidet, nisi quod agrum pro sepultura emit Gen. 23, 8. & seqq: sed tantum erigit & transfert de loco in locum per integros centum annos tabernaculum seu tentorium suum Gen. 12, 8, 9. & 13, 18. & 18, 1, 2, 6, 9, 10. & 24, 67. ex fiducia D E V M expectans, in quem locum terræ ipsum esset collocaturus, id quod tamen in hac vita nunquam fuit factum, interim pro pecoribus pascua, pro se locum habitationis conducere solitus, ut ex simili loco de Iacob. Gen. 33, 19. colligimus.*

*Abraham cum suis semper habitavit in tentorijs Hebr. 11, 9. nimirum Abraham Isaac Jacob conjunctis omnium temporibus, per ducentes annos.*

*CXVI. Atque hæc ipsa admirabilis, seu, ut tunc absque dubio videbatur rationi, stulta erectio, translatioque tentorium, & vaga cum tot viris & fœminis ( nam viri & fœminæ & familia singularia habebant Gen. 24, 67. & 31, 33. ) peregrinatio seu habitatio Abrahamæ in tentorijs tunc temporis sine omni dubio innotuit toti orienti, immò toti mundo, præsertim quando etiam paulò post illum senem in agris extra urbes cum suis degentem perpetuo, talem tamque celebrem D E I & veritatis cælestis præconem sibi metipsi, & toti masculorum suorum populo*



pulo, quorum expeditorum servorum Abrahæ 318. numerantur, præputia rescidisse divulgabatur Gen. cap. 14, 14. & 17, 23, 24.

CXVII. Neque negare poterit aliquis, vexationibus multorum incredulorum exagitatam Abrahamum sæpius mutasse locum habitationis, adeoque transposuisse seu translocasse tabernaculum suum, ut in pluribus locis verum DEVM annunciaret. Inspiciatur Gen. 13, 9. Interim tamen DEI protectione tutum inter omnes homines fuisse ex simili (de Iacobo) loco, Gen. 34, 35. patet.

CXVIII. Huc etiam pertinet quod Genes. 21, 33. Abraham plantavit nemus seu arbores in Bersabea & ibi invocavit nomen DOMINI, hoc est, ut citant docti ex Thargum Hierosolymitano, Ionathæ Syri interpretis, hortum plenum optimis fructibus, in quo peregrinos hospitio excepit, quibus gratuito omnia necessaria suppeditavit, nihil aliud pro precio exigens, quàm ut conditorem orbis verum agnoscerent & colerent, cujus foliis donum esset, quicquid comedissent vel bibissent.

CXIX. Similem vitam in tabernaculis egisse, adeoque multos ad verum DEVM hoc spectaculo convertisse Isaacum & Iacobum, patebit considerantibus hæc loca, Gen. 25, 10, 26 : & 26, 3. 10. 11. . 25, 28, & 31. 25, 33. 34. Ethn & jam satis superque per Abraham & Isaac propagata cælesti veritate, etiam per externam tabernaculi seu tentorij qualemcunque ceremoniam, ex divina voluntate & providentia, ex Mesopotamia in terram nativitatis revocatus Iacob, ex fide credenti sibi & semini suo terram istam dandam, Genes. 33. v. 17. domum ædificat Iacob, absque dubio in agro extra urbem Genes. 33. 19, & 34. v. 9, 19. 16. 21. 22. 23. 25. ubi convertuntur Sichemites, tamen in ea non habitavit Gen. 35, 21. Hi igitur dicuntur dies peregrinationis Gen. 47. v. 9.

CXX. Porro ex Ethnicorum conversorum numero nominantur Abimelech Genes. 21, 22. Item filij Hetb Genes.

Abraham quomodo in conductiis agris plantaverit nemus & ibi invocaverit nomen Domini.

Isaac & Iacob conjunctis annis etiam per centum annos extra domos in tentoriis habitaverunt & terram promissam expectarunt.

Exempla Ethnicorum conversorum in V. T. qui ipsi plures alios converterunt.



23,6. (ex quibus Hethæis oriundus fuit Urias 2. Samuel. 11. sicut ex cognatis Cananæis ab Abrahamo & filijs multipliciter de vero Deo edoctis, Cananæa Matth. 15.) *Rahab Hierichuntina* Matth. 1,5. Heb. 11. 31. *Iatron* pronepos *Abrahæ* ex *Cethura* teste *Cedreno*, *Iob*. in terra *Hus* cum filijs & filiabus & cum amicis morbi tempore ad ipsum profectis *Iob*. 1,1. *Gabaonite* *Ios*. 21,23:

CXXI. *Ruth* *Moabit* cap. 1,4,16. *Hiram* rex *Tyri* 1. Reg. 5,7: *Regina austri* 1. Reg. 10,1.2. *Paral*. 9,8. in cuius territorio in hunc usque diem ab illo tempore mansit vera Dei noticia, *Ninivite* apud *Ionam*, *Nabuchodonosor* *Danielis* 4. Item *Cyrus* *Esdra*. 1. *Darius* *Esdra*. 6. *Artaxerxes* *Esdra*. 7. *Ahas* verus *Esth*. 8. ut & *Perse* à *Mardocheo* conversi: *Ethiops* *Ier*. 39,16. *Magi orientales* *Matthai* 2. &c.

Propheta V.T. prophetarunt etiam Ethnicis aperte.

CXXII. Huc pertinet ex disputat: sexta, quod in omnibus ferè prophetis & què prolixè, & graviter reprehenduntur ethnici, quas objurgationes sine dubio ad reges, & magnos Dominos ethnicorum exportarunt ipsorum subditi peregrinantes, ut in similibus regum reprehensionibus fieri solet, quæ citò insinuantur ipsis.

Vocatio DEI universalis in veteri instrumento.

CXXIII. Sufficiat igitur scire hoc in loco, Deum pange-re fœdus, cum *Israelitis*, & *Ethnicis*, *viris* & *feminis*, *adultis* & *pueris*, *presentibus* & *absentibus*, quos omnes & singulos vult in gratiam suam recipere & beare, modò oblatam gratiam contemptu & incredulitate sua non rejiciant sed recipiant.

III. Membr. cap. 29. Deut.

CXXIV. In tertio cap: 29. memb. à vers. 16, dehortationi ab *Idololatria* inseritur duplex adagium, necessarias doctrinas easq; utiles complectens, ne scilicet inter *Israelitas* reperiat 1. *radix fructificans fel aut absynthiū*. 2. *qui addat ebriam sitienti*.

Ne sit in Israel radix fructificans fel et absynthium.

CXXV. Esse inter *Israelitas* *radicem fructificantem fel aut absynthiū*, significat, esse inter *Israelitas* restauratorem & propagatorem *idololatriæ*, quæ tum inter *ethnicos*, & ex parte inter *Israelitas*, usitata vers. 16. 17. 18, per hoc miraculum educationis ex *Ægypto* fuerat reformata. Tales



CXXVI. Tales radices erant illi, qui idololatricos ethnico-  
cos huc usque in magna autoritate constitutos, & magna fe-  
licitate usos, a deoque ex oraculis suis prädictiones quotidi-  
anas, magno cum commodo habere solitos fuisse, gloriaban-  
tur, & idcirco non penitus omnia idolorum numina vana &  
rejicienda alijs suo hoc malo exemplo persuadebant.

CXXVII. Metaphora sumpta est, à viridi radice, quæ quo-  
tannis succos ex terra imbibit, stirpem auget, fructus produ-  
cit: *hic autem, quæ mel & favum proferre debebat, ea profert fel  
& absinthium.*

CXXVIII. Ita enim quodlibet peccatum in homine, est ra-  
dix ex se se plura in eodem homine gignens, & alios ad ean-  
dem consuetudinem invitans: sicut *1. Tim. 6, 10. radix omnium  
malorū Avaritia dicitur, & eadem admonitio extat Hebr. 12, 15:  
prospicientes ne quis deficiat à gratia D. ne quæ radix amara sup-  
pullulans oburbet, & per hanc inquinentur multi.*

CXXIX. Vix autem aliquid magis pestiferum excogitari  
potest, quàm pravum exemplum, & experientia perpetua, om-  
nium seculorum, testatur, plures malis exemplis, quàm proprijs  
pravitatibus corporaliter & spiritualiter seduci & interire, juxta  
illud *Psal. 18, 27. & Pharaonem cum servis seu subditis perdis-  
derunt Magi, Diabolica ope præstigias procurantes Exod. 7  
13, 22.*

CXXX. Hanc ob causam immundas res tangere & secum  
tolerare prohibentur plurimis in locis Israëlitz, & *Num. 9, 6, 2.  
Paral. 23, 9. immundi cum mundis pascha celebrare non debent,*  
perinde ut in Novo Testamento *1. Cor. 5, 11, 2. Thess. 3, 6. cum  
scortatoribus, avaris, ebriosis non edendum esse præcipitur,  
quia, paululum fermenti totam massam infermentat 1.  
Cor. 5, 6.*

CXXXI. Et bellè *Isidorus lib. 2. soliloq: Ante ignem consti-  
stens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris: proximus periculo  
diu tutus non erit.*

D 3

Hanc

Quomodo idola-  
latriam soliti  
fuerint inter alia  
patriare Israëlitz  
etiam:

Quodlibet pec-  
catum est radix,  
quomodo.

Magi proprie ob-  
durarunt cor  
pharaonis in E-  
gypto.

Isidorus.



**CXXXII.** Hanc ipsam ob causam adversus scandalum gravissimè tonat Christus *Matth. 18.* ut & Apostolus *Rom. 14. 13.* Inde *Exod. 33. 7.* Moses non vult habitare inter *μοχολάτας*, sed extra eorum castra sibi tentorium parat, nec Daniel vult cibum capere cum Ethnicis *Dan. 1.*

*Non sufficit fugere, sed decet etiam convertere improbos.*

**CXXXIII.** Nec sufficit imitari haec monita & exempla, ut nimirum cum improbis non peregrinemur, non cohabitemus, non comedamus, non familiarius colloquamur, non corrideamus, sed etiam insuper requiritur, ut vel in faciem ipsius resistamus, vel alijs eorundem malitiam prodamus, tum qui privatam vitam agimus tantum, tum qui in officio publico constituti sumus, ut eosdem privatim & publicè acriter taxemus & graviter puniamus, ne conniventia nostrà eorum peccatis & tandem etiam poenis participare cogamur. *Rom. 1. 32.* consentientes & facientes quasi uni supplicio adjudicantur.

**CXXXIV.** Pulcherrimum enim est illud *Seneca:* *Necesse est, aut imiteris aut oderis,* & apud *Aeschylum Amphiarus* cum septem viris & septem equis à fulmine in terram prosternitur, qui quidem per se probus fuerat, sed tamen cum Tydæo impio societatem coluerat, unde *1. Sam. 15. 6.* Cynzum mature ab Amalekitis abire, & Lothum ex Sodoma (*Gen. 19.*) exire jubent, ne cum malis viris vitæ jacturam pati cogatur.

**CXXXV.** Et populus DEI saepissimè ex consuetudine cum Ethnicis in terribissimas idolomanias & *πρωτοεπίαιας* incidit.

*Exemplum non colludentium sed proidentium iniquitates.*

**CXXXVI.** Sic *Gen. 37. 2.* malitiam fratrum non modo non æmulans, sed insuper parenti indicans Iosephus, gratiam inquit apud DEUM & apud parentes, tandemque ad maximam gloriam exaltatur.

*Ecce penam conniventium.*

**CXXXVII.** Per contrarium sensum non sit dubium, multos incidere in maledictionem DEI, qui in juventute omnibus connivere & indulgere, & quamvis sub interveniente nominis divini obtestatione, tamen aliorum crimina patefacere renuerunt. *Levit. 5. 1.* qui audivit blasphemiam & non indicavit,



cavit, reus est poena, & oblationem pro hoc crimine dare jubetur. Vtque qui non colligit mecum, is dispergit, Luc.

11, 23.

CXXXIIX. Quotquot autem pluris faciunt amicitiam mundi quam DEI, nec alios dehortando, monendo, objurgando, prodendo, puniendo offendere volunt, ij sunt detestandi & damnati hypocritae, injuriosi in proximum, quem lacerari poterant, injuriosi in se & suos, quibus divinas attrahunt poenas, & nullam esse frequentiozem in mundo hominum societatem atque hypocritarum, oculariter cernet, qui oculos paululum circumferet; sic Sodomitae omnes facti sunt mali, quod Lothum, reprehendentem vitia, nemo adjuvaret.

CXXXIX. Hinc etiam nihil frequentius, quam ut multa oppida incendijs, bellis, terrae motibus simul plectantur, omnium agri multis annis sterilefcant, flumina piscibus priventur, fodinae metallicae & salis exarescant, & quod nimis multa quotidie visuntur generales inter privatas & publicas Ecclesias poenae divinae. Vide Job. 8, 11. & 13, 7. & 20, 5. & 27, 8.

CXL. Addere ebriam sitiienti seu conjungere animam ebriam cum sitiiente videtur idem esse, quod decidere de malo in pejus. ex repetita una actione, inveteratam propensionem stimulare & ex hac ad habitum procedere. Id quod fit, quando in corde elevantur gravitates maledictionum divinarum, & uni actioni impunitas blanda ex hypocrisi promittitur. Sic enim sensim omnis metus divini numinis extinguitur.

CXLI. Hoc exemplo iterum plurimi seducuntur, alioquin per se non mali. Sed quam graviter scandalizantes illi & scandalizari sese patientes hi, utriusque scilicet divinitus plecti debeant, membro quarto seu ultimo docebitur, nimirum ejusmodi ruinas quas restaurare nunquam possint.

CXLII. Ideo Graeci hanc parcaemiam ita reddiderunt: *ὡς μὴ τὸ ναυαπολέσει ἀμαρτωλὸς τὸν ἀναμαρτητὸν*, ne idololatra audax & poenas divinas in praesentia aliorum bonorum extenuans simul

Hypocritae qui  
sunt etiam.

Cur in incendijs  
&c. boni ita visi  
& mali simul  
plectantur multi.

Quid sit addere  
ebriam sitiienti.  
Sitiens quasi a-  
ctio, Ebria quasi  
habitus.



*mul perdat innocentem, qui Idololatriam ipse non commisit, atramen eandem vel deinceps committet, vel tam grave peccatum esse non aestimabit.*

*IV. Membr. cap.*

*29.*

**CXLIII.** In quarto igitur & ultimo membro à v. 20. usq; ad finem capitis prædicatur horribile odium DEI adversus utrosque, hypocritas Idololatrias in primis & in specie, *utroq; proverbio hæcenus taxatos*, quod sint funditus & radicitus delendi.

**CXLIV.** Ratio severitatis est, quia peccatum ipsorum, hypocrisis & conniventia, est grande, ubi 1. DEVM quasi inscium faciunt rerum, quas agunt, & mendacem seu simulatorem in minis prolatis. 2. quia se & alios plurimos decipiunt.

**CXLV.** Sicut autem pentapolis *Gen. 14, 2. Sap. 10. 6.* (quemadmodum totus tractus uno vocabulo nominabatur,) seu potius Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboa, quatuor urbes *Deut. 29, 23.* igne divino perierunt, / siquidem quinta Bela seu Soar propter preces Lothi salva mansit *Gen 19*, ut nihil amplius eo loco utilium plantarum proveniat, apud *Egesippum lib. 4. c. 18. Tertull. in apologet. c. 39. Augustin. lib. 21. de Civit. D. cap. 5. Strabon. lib. 16:*

**CXLVI.** Ita quoque Israëlitarum regnum, propter peccata evertendum, toti mundo horribile spectaculum futurum & admirandi materiam usque ad finem mundi præbiturum significatur.

*Rudera ubique  
locorum testi-  
monia certitudi-  
nis comminatio-  
num divinarum.*

**CXLVII.** Quam certus autem fuit eventus hujus prædictionis divinæ, tam certò statuamus, propter peccata hæc & similia, quotidianas domorum, pagorum, oppidorumque fieri per bella & incendia devastationes, ita ut rudera passim sint testimonia certitudinis harum prædictionum.

**CXLVIII.** Ideo autem has pœnas ex DEI providentia determinatas certoque complendas prædicit, ut in ipsis, & nobis omnibus pœnitentiam exulcitet. *vers. ultimo.*

**CXLIX.** *D'Euteronomij cap. tricesimum* velut Hesperus & Lucifer



& Lucifer in toto Pentateucho emicat, adeoque singularem meretur & *ἀντιβέβαιον* meditationem.

CL. Totum enim est Evangelicum & non tantum explicatio primæ promissionis *Gen. 3, 15*, hucusque inter patres conservatæ & propagatæ, ideoque etiam scaturigo, unde omnes suas dulcissimas consolationes pro consternatis conscientijs hauserunt Prophetæ, quin & illa concio, quæ tandem in Filij DEI incarnatione plenissimè fuit patefacta.

Summa capituli  
30. Deut.

CLI. Constat autem triplici propositione, nimirum 1. *pollicitatione veniæ*, reliquæ apud DEVM peccatoribus verè pœnitentibus verèque fide ad DEVM & Mediatorem confugientibus, nec in pristinas criminum sordes sese petulanter & perseveranter iterùm immergentibus. His magnificas exhibet promissiones gratiæ, quod DEVS omnia bona eis velit reddere, multiplicare eos plus quàm antea, gaudere super eis, punire hostes eorum. 2. *solenni & evangelicâ adhortatione ad agenda pœnitentiam* & promissionem illam gratiæ amplectendam. 3. *Refutatione omnis excusationis*, quam peccatores prætereundere queant.

Partis capituli  
30.

CLII. Ut autem PRIMA PROPOSITIO, scilicet promissio remissionis peccatorum, seu spes veniæ, pœnitentibus peccatoribus facta, rectiùs intelligatur, adeoque liquidiùs evadat, *nostro shomines in Novo Testamento, non aliter quàm Veteres in Veteri, & tam illos, quàm nos ex gratiâ per Mediatorem habere remissionem peccatorum apud DEVM*, denique ut discrimen Legis & Evangelij, sub utroque Testamento penitiùs constet, eandem ex veteri potissimùm Testamento accuratiùs perpendemus.

I. pars capituli 30.  
Deut.

CLIII. Pœnitentia complectitur duo, 1. *contritionem*. 2. *Fidem*, tanquam duas essentielles partes.

PŒNITENTIA.

CLIV. *Contritio in se continet* 1. seriam peccatorum, adversus legem admissorum, agnitionem 2. seriam maledictionum divinarum propter peccata considerationem. 3. seriam detestatio-

I. Contritio quam complectitur.

E

statio-

misit,  
pec-

.usq;  
erius  
utroq;  
is de-

n, hy-  
nsci-  
lato-  
iunt.

que-  
seu  
Deut.

Soar  
us eo  
.c. 18.

Si 1a-

pecca-  
urum  
urum

præ-  
a hæc  
ue fi-  
ssim

leter-  
nobis

perus  
cifer



stationem & execrationem peccatorum: 4. serium pavorem & dolorem ex consideratione iræ divinæ adversus peccata.

2. Contritio excitatur.

CLV. Et hæc contritio non nisi divinitus excitatur, quia oritur ex Lege, juxta Regulam: *Quicquid extat in sacris literis, quod peccata arguit, id revera ad legis concionem pertinet.*

CLVI. Lex enim 1. monstrat peccatum, sicut dicitur Rom. 3, 20. *per Legem (prædicatam) cognitio peccati.* 2. simul ostendit maledictiones divinas super peccata, non tantum ex libro suo, in quo est scripta, sed etiam ex temporalibus pœnis sicut dicitur Deut. 27, 26: *Maledictus qui non statuerit verba legis faciendo illa, & dicet universus populus Amen: Gal, 3, 10. Maledictus seu execrabilis omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea, 3. ex maledictionibus exaggerat peccata Rom. 7, 8 9 Absq; lege peccatum mortuum est, Ego enim vivus eram sine lege quondam, mandati autem illius adventu peccatum revixit. 4. Exaggerando peccata hominem terret & occidit propter minas & tentationes Rom. 4, 15. Lex iram operatur, ubi etiam tentationes interiores cordis exurgunt Psal. 6, 4: *anima mea turbata est valdè, Psal. 88. terrores tui conturbaverunt me.**

3. Contritio non meretur remissionem peccatorum.

CLVII. Non modò autem nunquam ullius hominis cor, eam absolutam & perfectam præstare potest contritionem, per quam apud Deum mereretur remissionem peccatorum suorum, sed etiam omnis contritio, nihil aliud operatur, quam quod Psal. 31. & 38. & 9. toto conqueritur David: *putruerunt & corrupta sunt cicatrices meæ, quoniam nocte & die gravata est super me manus tua: hoc est, DEUS secuta & dura corda per contritionem in calamitatibus & interioribus tentationibus saltem aggreditur & terret.*

4. Contritio quam varia apud varios fit.

CLVIII. Hanc igitur actionem divinam 1. per legem prælectam, 2. per pœnas corporales continuas, & 3. tentationes interiores institutam variè variè suscipiunt.

CLIX. *Quidam securi eam non sentiunt, vel non satis æstima-*

*mant*





mant, adeoque in sceleribus perseverant, & destituti omni contritione ex nimia securitate pereunt, non ex fatali reje- ctione, sed iusto DEI iudicio, propterea quod medium & o- peratione Dei non attendunt sed rejiciunt propter securitate.

CLX. *Quidam illam Dei operationem ita sentiunt, ut propter multitudinem vel gravitatem scelerum & pœnarum exhorre- scant, subito desperent, & in contritione hac Judaica in æter- num intereant.*

CLXI. *Quidam eam ita sentiunt, ut simul simulent se expa- vescere peccata & pœnas, sed tamen in hypocrisi sua perleve- rant, nihil ulterius tentant, & ex hypocrisi Pharisæica, & ex Pharaonica contritione itidem pereunt.*

CLXII. *Quidam eam sentiunt, serio considerant, expavescunt, & de remedio circumspicere incipiunt. Hi scilicet dicuntur per Legem, ærumnas & alias circumcidi divinitus Deut 30, 6. Ezech. 11, 19. & 36. Jerem. 4, 4.*

CLXIII. Fides in sese continet etiam duo 1. notitiam pro- missionis, quod Deus confugientibus ad ipsum velit remitte- re peccata, 2. veram, seriam, firmam, specialemque fiduciam & spem, quod non tantum alijs quibuscumque, sed TIBI quoque ad ipsius gratiam appellanti peccata & pœnas æter- nas gratis remittere velit.

CLXIV. Et hæc fides quoque divinitus excitatur, quia ori- tur ex Evangelio, juxta Regulam: *quod Evangelium pro- priè sit doctrina, quæ doceat, quid homo credere debeat, qui Legi DEI non satisfecit & idcirco per legem damnatur.*

CLXV. Evangelium enim prælectum, cogitatum, considera- tum monstrat. 1. misericordiam Dei, quod non velit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat Ezech. 18. toto & 31.

CLXVI. Testimonia Evangelij in Veteri fœdere sunt, Gen. 3. v. 15. Semen mulieris & 22. 10. In semine tuo & c. Num. 14, 19: parce obsecro propter magnitudinem miserationum tuarum. Deut. 30, vers. 3. convertentibus promit-

*Quidam circum- cidantur divi- nitus.*

1. FIDES quanam comple- ctatur.

2. Fides unde oriatur.

*Prima promissio non de homine, & serpente, sed de homine & Diabolo exponi debet, quia non illorum sed bo- rum præcessit a- ctio ibi descripta.*



titur MISERICORDIA hoc est gratuita remissio peccatorum & gratuita relaxatio poenarum, *Psal. 51, 1. Misere mei secundum misericordiam tuam: Jer. 18, 8. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem illi: Ezech. 33, 12. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua: Dan. 9, 18: prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo, in miserationibus tuis multis.*

**CLXVII.** 2. Evangelium, quod omnes audire debent & possunt, prælectum & consideratum, ostendit DEVM unicuique favere & offerre Remissionem peccatorum, modò agat poenitentiam, *Psal. 32, 6. pro hac orabit ad te OMNIS sanctus. Esa. 53, 11. DOMINVS posuit super eum omnium nostrum iniquitates. Vide etiam Gen. 17, 12. & 22, 18. Deut. 29, 10.*

*III. An omnes fidem accipiant & cur non omnes eam accipiant.*

**CLXIIIX.** Hanc oblationem gratiæ DEI in Evangelio per totum mundum sparso non omnes recipiunt, vnde in poenis relinquuntur & pereunt sua culpa propter incredulitatem: qui verò eam vera fide & fiducia amplectuntur, illi remissionem peccatorum consequuntur & ita convertuntur.

*Conversio non est ex nobis sed ex DEO.*

**CLXIX.** Et quia hæc omnia, nimirum 1. demonstratio peccatorum per Legem, per poenas in nobis & alijs & per interiores tentationes. 2. remedium Evangelicum & remissio gratuita, non ex nobis sed à DEO proficiscuntur, ideo conversionem non ex nobis, aut nostris viribus, sed à DEO prodire fatemur *Jerem. 31, 18. converte me & convertar, Ezech. 36, 26. Dabo vobis cor carneum. Necessè autem est ut fiat quod dicitur *Psal. 95, 8. Hebr. 3, 7. Hodie si audieritis vocem ejus, nolite, nolite corda vestra obdurare. Tunc enim efficax erit in hominibus Spiritus Sanctus.**

*IV. omnis fides vera, quantumvis exigua certè accipit remissionem peccatorum.*

**CLXX.** Etsi verò non omniū hominum fides æquè magna est & firma, tamen omnis vera & non hypocritica fides accipit omnium peccatorum remissionem, ut de Rahab & Davide patet *Hebr. 11, 31. 2. Sam. 12. & 24. ubi quamprimum David pe-*

*tit, ut*



tit, ut iniquitas auferatur, Propheta subjicit: DEVS transtulit peccatum tuum. Aliud exemplum *Ion. 3, 5, 10.*

CLXXI. Vtrum autem fides vera an hypocritica sit, cognoscendum est ex fructibus ipsius, juxta dicta *Gen. 4. 6. Ps. 32, 1. 2. & 34, 15. Prov. 28, 9. Es. 5, 2. & 66, 2, 3. Jerem. 7, 4. & 9, 25. Matth. 3, 9. & 7, 21. Iob. 15, 5.*

CLXXII. Hoc autem in loco quaeritur, an post acceptam remissionem peccatorum & poenarum aeternarum relaxationem certò simul datam, etiam corporales poenae debitae & meritae omnibus remittantur.

CLXXIII. Respondetur distinctè. Interdum enim DEVS ex singulari gratiâ conversis & credentibus, simul & semel culpam, poenas aeternas & poenas corporales omnes remittit, non propter poenitentiam, tanquam propter opus satisfactorium aut meritorium, sed propter solam misericordiam & semen benedictum, Exempla sunt *Gen. 20. Abimelech & 1. Reg. 11, 12. Salomon 1. Reg. 21, 29. Ahab 2. Reg. 22, 19, 20. Iosias 2. Paralip. 12, 7. Roboan 2. Par. 33. Manasse Daniel 9, 9.*

CLXXIV. Interdum verò DEVS remittit culpam & poenam aeternam, sed non simul poenam corporalem, 1. ut hominum fidem & patientiam probet, 2. invocationem exerceat 3. eosque à novis peccatis deterreat, quam tamen poenam corporalem invocantibus mitigat propter Mediatorem. Exemplis illustribus plena est sacra Scriptura.

CLXXV. *Gen. 3.* primis parentibus in gratiam receptis, ex sola fide in Christum mox crux imponitur corporalis de difficultate partus & sudore vultus. & c. E T *Num. 12, 13, 14, 15.* Maria soror Moysis post impetratam remissionem peccati septem diebus lepra laborare cogitur.

CLXXVI. Insigne aliud extat *Num. 14.* ubi pro murmurantibus omnibus indeque ad mortem adjudicatis Israelitis, orat Moses, & v. 20. hanc accipit à DEO de remissa culpa & poena aeterna responsionem: *Peperci secundum verbum tuum,*

*Jerem. 9. Deus vult visitare preputiatos ex Israelitis & Ethnicis.*

Questio.

*Remissio culpa à remissione poenae aeternae non est distincta.*

*Remissio culpa à remissione poenarum temporalium in hac vita est distincta.*



Vivo ego, & replet gloria mea universam terram. So war ich leb / Seitliche straff sollen sie dennoch ausstehen.

Vita eterna est donum DEI nec nisi ex misericordia gratis datur.

Arrigant aures sue concionatores quidam negligentiores.

Sapienter proponatur doctrina hanc, ne merito Christi detrahatur aliquid.

Mox verò è vestigio 20. 21. 22. 23. 33. 34. hanc audit gravissimam comminationem & prædictionem corporalium peccatorum: *Vivo ego & replet gloria mea universam terram, quod omnes illi qui non paruerunt, non videbunt terram, sed in deserto morientur.*

CLXXVII. Idem ipsi accidit Moysi, *Num. 20, 11, 12. Deut. 3, 23.* cui scilicet DEUS culpam remittit, sed introitum in terram promissam tamen denegat. Sic DEUS sæpenumero petitiones quantumvis non malas tamen pijs denegat ob similes causas.

CLXXIIX. *2. Sam. 12.* Davidi post adulterij & homicidij culpam remissam, tamen pœna corporalis affligitur, cum moritur filius ejus ex Bersabea natus, cum bella perpetua & tristitia, cum mala super conjuges suas eidem prædicuntur, tandem etiam eveniunt.

CLXXIX. *2. Sam. 16.* David post sibi remissam in numeratione populi commissam culpam, tamen jubetur eligere unam corporalem pœnam ex tribus. Lege etiam *D. Lutherum* in marginali super *Ioël, 2, 14.*

CLXXX. Et nõ semper bonum signum est hoc, quando peccata tragica nullis prorsus pœnis corporalibus castigat DEUS, juxta illud *Hebr. 12, 8. 2. Maccab. 6, 14. 15.*

CLXXXI. Hæc securis plebeculis ubiq; locorum graviter & sæpius sunt inculcanda, quæ existimant, per confessionis auricularis absolutionem *semper & jure sibi* remitti simul culpas, pœnas æternas & pœnas corporales, indeque audaciùs securius, sæpiùs vel semper in pristina peccata relabuntur, quas quotidiana experientia refutat, per exilia, morbos, & alias calamitates divinitus immisas, post quamvis sæpenumero absolutionem. Unde si ullius doctrinæ opus est acri repetitione & inculcatione, hac certò opus est.

CLXXXII. Interim alter quoque scopulus declinetur, in quem impingunt Pontificij, quasi his calamitatum corporalium immisis castigationibus, vel etiam spontaneè susceptis flagellationibus pœnæ æternæ ipsa infinitas commutetur in pœ-



in pœnam purgatorij vel in aliam pœnam temporalem: item quasi hæ pœnæ corporales sint satisfactiones pro peccatis, quæ interdum indulgentijs, jejunijs, peregrinationibus & similibus redimi queant.

**CLXXXIII. SECUNDA PROPOSITIO**, quod **DEVS** invitet in Ver. Testamento omnes homines ad agendam pœnitentiam hoc in loco *v. 8. & 9.* fundatur his verbis:

*Tu ergo revertaris & convertetur Iehova, ut latetur super te.*

**CLXXXIV.** Huc pertinent alia loca *Levit. 5. 5. 9. Deut. 4. 29. 31. 1. Sam. 7. 3. 2. Paral. 15. 4. & 20. toto Nehem. 1. 9. & 9. 27. Es. 1. 16. 17. 18.* si fuerint peccata vestra ut coccinum, veluti nix albescent & *55. 6. 7.* quærite **DOMINVM** & c. quoniam multus est ad remittendum. *Jerem. 3. 12.* Non reservabo iram in seculum, sed agnosce iniquitatem tuam, & *26. 13. & 36. 3.* Si revertatur unus quisque à via sua mala, propitius sum iniquitatorum. *Thren. 3. 40. Osee 6. 1. Joël 2. 13.* convertimini ad Iehovam **DEVM** vestrum, quia misericors & miserator est, longanimis & multæ misericordiæ & pœnitens super malum.

**CLXXXV.** *Iona 4.* Tu irasceris propter cucurbitam, ego non moverer propter interitum horum? Huc illud *Michæ 7. 18. 9.* Quis **DEVS** similis tui? parcens iniquitati? non retinens in æternum iram suam & projiciens in profunda maris omnia peccata nostra: *Malach. 3. 7. 17:* convertimini ad me & convertar ad vos & parcam vobis, quemadmodum parcat quis filio suo servienti sibi.

**CLXXXVI.** Ergo quemadmodum nos, ita illi in V. Testamento per Mediatorem! acceperunt æternam vitam, hoc est remissionem peccatorum suorum, nec salvati fuerunt per legem *Act. 15. 11.* & sic **Christus JESUS** est heri & hodie & in secula *Hebr. 13. 8.* et si secundum legem vitam post conversionem sanctè instituire debuerunt, sicut nos etiam in Novo Testamento per Christum & Apostolos graviter monemur, id quod etiam hoc loco innuitur, his verbis: Si tamen obedieris & c.

**CLXXXVII.** In **TERTIA & ULTIMA** *cap. 30. Deuteronomij* parte refutatur objectio & exculatio eorum, qui prætendunt aut ignorantiam

II pars capituli  
30. Deut.

Hactenus de R.  
P. nunc de invitatione ac fidei.

Similibus Evangelicis dicitur sciret veteris instrumentum, pro consolandis penitentibus peccatoribus.

III. pars cap. 30.  
Deut.



tiam aut impossibilitatem præceptorum divinorū, cui nimirum ita respondet: Hoc, *inquiens*, præceptum, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum à te, neque remotum est, sed propinquum est tibi in ore & corde tuo, ut facias illud.

*Hoc verbum  
quod præcipio  
tibi, non est oc-  
cultum à te.*

CLXXXIIX. Hæc verba etsi aliqui interpretantur de facili noti-  
tia verbi divini, aliqui verò de facili præstatione, tamen commodè  
exponi possunt de utroque.

CLXXXIX. Illud autem in primis quæritur, utrum illa verba lo-  
quantur de Lege, an verò de Evangelio. Et subjecta materia seu ante-  
cedentium & consequentium tenor demonstrat, intelligenda ea esse,  
non de eo, quomodo lex cognosci & impleri possit, sed quomodo  
per fiduciam in DEUM, & per fidem in Christum ex Evangelio re-  
missionem peccatorum & salutem consequi possimus gratuitam.

CXC. Hoc enim ipsis verbum (*in hoc capite*) dicitur esse propinquū,  
ut non opus sit, ex cælo revelationes alias quærere, aut ex aliis homi-  
nibus remotissimis explicationes expectare.

CXCI. In primis propinquū IPSIS dicitur in ore & corde, quia ipsi  
intererant promulgationi & repetitioni hujus doctrinæ in deserto.

CXCII. Fundamenta, quibus innititur hæc dicti prophetici expli-  
catio, sunt hæc: I. quia in hoc toto cap. tricesimo, cui hoc dictum in-  
sertum est, de nulla alia re, quam de concione pœnitentiæ Evangelica  
agitur: unde de eadem & ipsum illud dictum intelligendum veniet.

CXCIII. II. quia Paul, *Rom. 10, 6, 7, 8.* hanc ipsam sententiolam Mo-  
sise ad Evangelium de gratuita salute ex fide in Christum accom-  
modat, ut non opus sit de ea, arcanas scrutari & fatales tabulas, nec du-  
bitare, num ex mortuis surrexerit Christus. III. quia tantum hoc ab  
omnibus ubique præstari potest & debet, tanquam fundamentum  
Religionis, ut tantum Jehovam & Christum colant, nec sese curvent  
Dijs alienis, juxta illud *Job. 17*: hæc est vita æterna IV. quia alterum de  
lege implenda est impossibile, ex qua, ne unus unquam fuit salvatus  
*Psal. 130, 3*: si iniquitates observaveris DOMINE quis stabit? *Rom. 3.* ex  
operibus Legis non justificatur ulla Caro.

*Lex est natura-  
liter nota sed im-  
pletu impossibi-  
lis.*

*Toto corde.*

CXCIV. Interim justificati gratis, DEUM toto corde, id est, ipsum  
solum & sine furo colere & timere debent, & qui fundamentum de  
uno DEO & Mediatore contemserunt, ij malè fecerunt, & se-  
cundum protestationem Mo-  
sise non ex DEI aliquo bene-  
placito, sed ex propria culpa in æternū perierunt.

**FINIS, & Laus soli DEO.**



94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




SB.

VD 17

21.7.99 Bd. 1











am profi-  
: 22: Date  
uperrimis  
qq: DEVS.  
qua Papa  
se menti-  
siquidem  
fingit, fi-  
4. de vita  
pavit filis  
onstante.  
rt, quod-  
estate Ro-  
I. cunctis  
bedientes

20

ΣΤΝ ΘΕΩ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio XIII.

I. De benedictionibus & maledictionibus  
divinis.

II. De pœnitentibus in gratiam recipiendis.

Ex 27. & 28. & 29. & 30. capp. Deut.

*Ad cuius Themata*

*In Illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-  
sito itidem templi arcis

*Respondebit*

M. DANIEL GUCKELINUS  
VImensis.

*Die 20. Maij in templo arcis Electoralis horis pomerid:*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.  
M. DC. VIII.